

I. N. D. O. M.  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
PECCATIS  
POST  
MORTEM,

---

CUJUS PARTEM POSTERIOREM  
CONSENS. AMPL. FACULT. PHILOS. IN REG.  
AD AURAM ACADEMIA,

PRÆSIDE  
MAG. JOHANNE BILMARK,

HISTOR. ET PHILOS. PRACT. PROFESS. REG. ET ORD.

*Publico examini submittit*

CAROLUS JOHANNES SCHÆFFER,  
Satacundensis,

IN AUDIT. MAJ. DIE XXVIII. MAI. AN. MDCCCLXXXIII.

H. A. M. C.

---

ABOÆ,

TYPIS VIDUÆ REG. ACAD. TYPOGR. JOH. C. FRENCKELL.

VIRO  
PLURIMUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO,  
D:NO MAG. CAROLO SCHÆFFER,  
Sacellano Ecclesiarum, quæ DEO in Kymå & Harjavalda  
colliguntur, vigilantissimo,  
PARENTI INDULGENTISSIMO,

*Beneficiorum, quibus me, Parens Optime, inde qb ipfis  
incunabulis ornaſti, memoriam dum recolo, recolo au-  
tem quotidie, satis admirari non possum teneram, quam fa-  
lutis meæ gessisti, curam. Post D'Em enim O. M. Tibi,  
Pater Indulgentissime, debo, & quod vivam & quod bene  
vivam. Nullis vel laboribus vel sumtibus pepercisti, ut men-  
tem scientiis & animum meum studio virtutum imbueres.  
Tantis in me beneficiis vel prædicandis, vel reminerandis,  
quum sim impar; accipias tamen, Parens Indulgentissime, se-  
rena, qua soles, fronte bas ingenioli mei primitias, ut  
certissimum pignus grati animi & pietatis meæ nunquam  
intermorituræ. Respicias, quæſo, bas qualescumque pagellas,  
non ut pretium debiti, quod Tibi bis nunc solvere vellem,  
sed ut fructum benevolentiae Tue indefessæ, quam ex intimo  
veneror offeclu. DEus T. O. M. Te, Parens Optime, sal-  
vum fospitemque per longam annorum seriem servet. Ita ex  
intimis cordis recessibus voveo, filiali reverentia usque ad  
cineres permanfurus*

PARENTIS INDULGENTISSIMI,

*Filius Obedientissimus  
CAROLUS JOH. SCHÆFFER.*



## §. IX.

**A**d statum progredientes Politicum breviter ostendemus, quod in eodem dentur etiam peccata post mortem. Quum homines non sine gravissimo molestiarum sensu quotidie experientur incommoda, quæ ipsos in statu adfigerent Naturali, sensim inter se conveniunt de Societatibus formandis, ut, junctis inter se pluriū consiliis ac viribus, pares essent tam intentis commodis facilius obtainendis ac promovendis, quam ingrauescentibus malis opportune depellendis. Robur itaque & firmitas harum societatum a mutua sociorum dependet concordia; quam frustra sibi possent polliceri, nisi unius Personæ sive Physicæ sive Moralis voluntati sua submitterent arbitria, sedulo agentes, quicquid ipsa ad communem promovendam salutem faciendum esse decrevissent. Augusta igitur & Sacro- Sancta est Imperantis Persona, quæ in corpore Politico idem præstat, quod in humano anima. Et quum Princeps ita in eminentissimo, ad quem evehi fors permittit humana, sit constitutus loco, cives quoque Ipsius actiones, seu perfectissimum viæ morumque exemplar, quibuscunque Philosophorum præceptis superius, intueri & imitandas sibi proponere solent. Quod si Imperans probe non perpendat, sed quicquid libeat, sibi licere existimet, stimulus suis addit civibus, flagitia quævis audendi, occasionemque præbet peccatis, post suam etiam mortem committendis. (a)

A

Nec

Nec vita solum Princeps suis nocere potest civibus, sed institutis quoque & legibus a se latis animos horum ita confundere, ut vel vitia, vel, quod eodem ferine recidit, virtutum simulacra probis præferant moribus; quod quidem non ex intentione legislatoris, sed per accidens & non prævisis singulis consequentiarum circumstantiis solet contingere. Tendunt quidem leges & instituta quælibet ad Reipublicæ felicitatem; sed quum & hæc ipsa pluribus constet prærogativarum momentis, & quæ ad eandem conducunt, media, ejusdem non sint singula vel bonitatis vel æquitatis, accidere potest, ut cives nubem pro Junone amplectantur, & habitum contrahant viciōsum, tanto difficilius deponendum, quod juste agere & recte vivere sibi videantur. Taceo jam illos Principes, qui vel ignorantia æquitatis naturalis vel barbarie temporum, in quæ ætas eorum incidit, circumventi, civibus suis leges parum omnino æquas & honestas proposuerunt observandas. Fieri præterea potuit, & revera factum fuisse docet Historia, ut nonnulli Legislatores talia admiserint instituta, quæ culpa civium a felicitate publica tanto diverserunt longius, quanto propius ad eandem convergere primo videbantur intuitu. Sic nemo est, qui ignorat, quantum luxus ad commoditatem & opulentiam civium conferat, dum pecuniarum circulationem, sine qua eorundem conditio admodum inæqualis & multis proinde foret exitiosa, inter ipsos promovet; sed si hunc opulentiae pullum indulgenter nimis habeant civitatum Rectores, incolarum animi valde corrumpuntur, ita ut leviora sibi primum permittant peccata, tum gravioribus adsyescant, & tandem peccandi habitum, a se contractum, in ferocias etiam nepotes derivent.

(a) Emphatice omnino scribit Rev. FENELON: *Les  
maux*

3

maux que font les Rois, se multiplient de génération en génération, jusqu'à la posterité la plus reculée. Un mauvais règne fait quelquefois la calamité de plusieurs siècles. *Vid. Les avanturnes de Telemaque Livr. XXIV. circa fin.*

### §. X.

Quamvis virtutes singulæ adeo sint præstantes, ut sedula earum cultura satis commendari nequeat; docet tamen ratio, cui nec refragatur experientia, quod virtutibus quibusdam certi definiendi sint limites, ultra quos si quis progrediatur, nullam omnino laudem meretur. Inter virtutes, quæ Augustam Principis Personam valde exornant, habetur Clementia in cives suos, qua pro re nata & propter humanitatem condonat facta, quæ ad legum tenorem pœnis essent multanda. Habet autem & hæc virtus suos limites, & intra hanc ferme orbitam fæse continebit, ut Princeps nihil sibi unquam permittat, quod in præjudicium vergeret vel legum a se latarum, vel cæterorum civium. Si ultra has clementia extendatur oleas, degenerat in lenitatem, qua animi mollitie & adulatores plerumque abutuntur ad vexandos ac opprimendos reliquos cives, & cæteri, quibus legum observantia obvenit gravis & molesta, hinc sumunt occasionem, instituta quævis ac præcepta impune eludendi. Dici autem vix potest, quot quantaque vitia per solam impunitatis spem ingravescant; recte enim jam pridem observavit CICERO, quod *maxima peccandi illecebra sit impunitatis spes* (a). Cives enim maleferiati, quantumvis natura fuerint pigri, querunt tamen rimas, per quas rigorem legum ac pœnarum effugiant; ad quæ molimina si forte conniveat Princeps, & naturæ bonitate vicitus leges

suas dormire sinat, non ipsi tantum altius cristas erigunt & in peccando fiunt audaciores, sed partem etiam civium sinceram ad paria tentanda suis sollicitabunt exemplis. Ita ex Principis lenitate vel nimia vel intempestiva, tamquam e semine, progerminant multa civium vitia, quæ temporum ita inolecant decursu, ut altas in suorum etiam nepotum animis agant radices, non nisi post multas mutationes & rerum vicissitudines inde eradicas, & in desuetudinem abituras. Imprimis autem Princeps suæ nocet civitati, non tantum impræsentiarum, sed in seram quoque posteritatem, si jus aggratiandi sibi competens, ad homicidia etiam voluntaria extendat. Si enim a justo legis rigore eximat eum, qui basin felicitatis civilis, securitatem publicam, temerario labefactavit modo, latissimam scelestis hominibus aperit portam, aliis pro libitu insultandi. Qua de re convicti prudenter Reges, jure hoc vel plane non, vel parcissime fuerunt usi. Memorabile imprimis est JACOBI I. Angliae Regis effatum, qui quum intimæ admissionis amicus ejus ROBERTUS CARR exercitæ in OVERBURYUM clandestinæ incusaretur cœdis, COOKIUM, in causa ista constitutum judicem, ita sui admonuit officii: *Que la malédiction de Dieu tombe sur Vous & sur les Vôtres, si Vous épargnés les coupables, & sur Moi même & sur ma postérité, si je pardonne à personne.* (b).

---

(a) Vid. *Orat. pro Milone Cap. XVI.* (b) Vid. Rapin THOVRAS *Histoire d'Angleterre Tom. VII. p. 99.*

## § XI.

Præterea sicut Principis actiones tendunt ad conservandam, &, quantum fieri potest, augendam civium felicitatem,

tatem, hæc autem obtineri non potest, nisi valide inter hos reprimantur vitia, & virtutum promoteatur cultura; ita si accidat, ut Princeps viros de se & sua patria optime meritos, sed sua se virtute involventes, parum cureret, si personam magis, quam ejusdem acta, aut si grandia facta potius, quam utilia, temeraria magis, quam prudenter suscepta remuneret, exercitium virtutum sensim sufflaminabit, & peccatorum relinquet segetem, post suam etiam mortem increcentem. Quamvis enim virtus præstantissima sui merces habeatur, quippe quæ animum jucunda præteriorum ac præsentium memoria reddit hilarem, pauci tamen, quantumvis ipsi fingantur modesti, bene secum agi putant, si propter merita laudentur quidem, attamen perpetim algeant. Desiderant enim in ardua virtutum semita quædam adminicula, ut dotes ipsorum in publicum sese latius explicit commodum, & quibus sese ipso opere reddiderunt dignos; aliquoquin vel in egregio deficient proposito, vel in virtutum devia sese per indignationem abripi forte patientur. Bene enim jam olim cecinit Poëta: *Ipse decor recti, fatti si præmia defint, - Non movet, & gratis panitet esse probum* (a). Lustremus enim omnium temporum ac populorum Historias, quæ luculenter ostendent, non magis in corruptionem propendisse nationem quandam, quam dum placida proborum merita fuerunt negligēta, indigni autem & feroce præmia atque honores, tamquam sibi solis debitos, ad se quo demum cunque modo arripuerunt; quod vulnus, ipsis reipublicæ vitalibus alte inflictum, non nisi longo post tempore cicatricem ducere ac sanari potuit.

(a) Vid. OVIDII Libr. de Ponto Eleg. III. v. 11. 12.

Porro si statum consideremus Oeconomicum, deprehendimus, quod peccata in eodem etiam post mortem non raro gliscant. In statu jam memorato nobis primum obveniunt Parentes, qui in arctissimam animorum & corporum societatem non propter sensualē voluptatem, sed subolis suscipiendae atque educandae caussa libere concesserunt. Qualis vero infans recens natus? Nonne animal valde miserum, quod fame, siti ac frigore post primos auræ vitalis haustus cito periret, nisi sollicita Parentum cura eundem molli exciperet gremio, eique opportune omnia suppeditaret, quæ ad ejus conservationem imperiosa exigat necessitas. Membra corporis illam diu desiderant consistentiam & agilitatem, quæ ad illud sustinendum ac movendum requiruntur, & animæ facultates adeo sunt hebetes, ut vix eorum præsentiam, nedum præstantiam discernere valeat; sed sicut petala ex sua spatha calore solis sensim eliciuntur; ita tenera parentum cura corpus infantis robur accipit debitum & anima suas exserit facultates. Est autem infantis anima ad instar mollis cuiusdam cerae, cui variarum effigies rerum facile imprimuntur, sed quæ semel impressæ ipsa ærate ac consuetudine adeo quasi indurescunt, ut difficiliter admodum inde exsculpi aut mutari possint. Quod si igitur Parentes animorum in liberis agrum vel plane incultum relinquant, vel vitiorum zizania in eodem sianit succrescere, reos se faciunt peccatorum, quæ liberi, non ipsis tantum adhuc superstibus, sed longe etiam post ipsorum obitum proterve committunt. Qui enim, uti in veteri est proverbio: non vetat peccare, dum poterit, jubere censetur, & magna licentia magnum est ad vitia incitamentum & præcipitium. Minuta quædam animalcula,

cula, cum mordent, non sentiuntur, adeo tenuis illis & fallax in periculum est vis. Similiter Parentes, indulgentiae glaucomate oculis objecto, non vident, quantum blanda in liberos lenitas his obfit, sed obfusie tandem cum sibi, tum illis animadvertunt, quum ipsos ad meliorrem reducendi frugem nulla fere amplius spes superfit. Certe non aliunde, quam ex stagnante hoc rivo omnino provenit morum barbaries & projecta saeculorum licentia: non aliunde omnis generis vitiorum cohortes, que in urbes, oppida, vicos & familias irruperunt, adeo ut virtutes deliquium passae nonnullis, aliis cum Astraea terram reliquisse videantur. Egregie in hanc rem SENECA: *facile est, inquit, teneros adhuc animos compondere, difficulter reciduntur vitia, que nobiscum creverunt.* Et sicut vasa odorene, quo primum fuerunt imbuta, retinent, sic juvenum animae, quas primum formas imaginatione concipiunt, nunquam abolere sinunt. (a)

---

(a) Vid. *Libr. II. de Ira Cap. XVIII.*

### §. XIII.

In familia occurunt praeterea hinc herus & hera, illinc servi & ancillae, qui in suas invicem actiones ita poslunt influere, ut peccata ejam post mortem inde existant. Quamvis servi & ancillae mandatis dominorum ita subsint, ut sola ipsis in obsequio gloria videatur esse relictia, non tamen hi omni obligationis nexu respectu illorum sunt soluti, quin potius eorum felicitatem, quatenus & homines sunt & domestici, quantum unquam illorum permittat conditio, promovere tenentur. Non solum itaque necessarium victimum & amictum ipsis suppeditabunt, sed curabunt quoque, ut vitia, quibus forte indul-

indulgent, dediscant, & contra ea virtutum adsvescant culturae. Quod si herus singula haec intermitat officia, sua vel socordia vel avaritia efficiet ut personæ, sibi inservientes, pravos contrahant habitus, qui continuo in peccata gliscunt. Qui enim alterum negligit emendare, dum ad saniorem mentem eundem reducere & posset & deberet, neglecti officii reus postulatur, sin minus in foro soli, at tanto magis in foro Poli. Immo si disciplinam domesticam, quam sartam & testam quisque tuebitur paterfamilias, susque deque habeat, non magis a criminis, in familia forte commisso, liberari potest, quam si ex proposito idem permisisset. Ab altera vicissim parte si servi & ancillæ intra suorum officiorum orbitam fese non contineant, sed conditionem suam eo ipso vel meliorem vel suo gustui convenientiorem reddere satagent, quod vitiorum promisidem heris suis adstute propinent, & patrata ab ipsis scelera vel adjuvent, vel dextre celent, in ipsos, ut corruptionis auctores redundat culpa flagitorum, longe etiam post eorum ex hac vita decepsum commissorum.

#### §. XIV.

Quamvis illi, qui litteris ac scientiis addiscendis & excolendis maximam vitæ suæ partem impendunt, possent præsumi, naturalem pravitatem & ignorantiam exuisse, quæ utraque fœcundam peccatorum materiam constituit; multiplex tamen docet experientia, quod nonnulli eorum peririaæ suæ & industriæ monumenta reliæsti, gravissima hoc modo post mortem quoque commiserint peccata. Hi sunt, qui ambitionis cœstro percisi, soli, tamquam soles, in cœlo litterario fulgere cupiunt; quo exciderent proposito, nisi ultra alios sapere viderentur.

Para-

9

Paradoxis igitur potissimum delectantur opinionibus defendendis, simplicem autem & in praxi utilem veritatem, ceu acuminis sui fastigio parum dignam, fastidiunt, contra ea vero speciosis sophismatibus, quibus arguta sua communiunt placita, fucum aliis facere student. Nonnulli, qui eruditorum Phaethontes haberi volunt, eo insipientiae, dum sapientiam suam jaclare student, processerunt, ut veritatem omnium primam & catholicam, videlicet quod Deus, rerum omnium Creator, existat, confictis quibusdam argumentis, reluctantur enim ratio, natura & conscientia, impugnare sint adorti; ipsis proinde diabolis detersores, quippe qui, uti Revelatio docet, DEum esse credunt, licet in hac sua contremiscant convictione. Alii rursus momentosam hanc doctrinam excoxitatis a se dubiis, ut simplicioribus persuadeant, se bona fide sensa animi sui aperuisse, onerant; tanto praviores habendi, quanto videri volunt magis ingenui. Alii denique in vindicanda Summi Numinis existentia talibus utuntur argumentis, quæ thesin propositam labefactant magis, quam confirmant. Omnes autem hi tenebriones sunt, qui caliginem splendenti soli addere conantur, ut si non ipsi, umbra saltem eorum in crepusculo eruditionis tanto major appareat, &, si quis non probet eorum propositum, quippe quod vel impium vel levem saltem prodit animum, ipsorum tamen laudet acumen & industriam in absurdâ causâ ingeniole defendenda. Dolendum autem est, quod non omnes sentiant venenum, in his perversæ eruditionis floribus occultatum, & quod lectorum animos, adhuc forte innocuos, ita corrumpat, ut, sublato Numinis tam amore, quam timore, metui ac pudori nuntium ferociter mittant, rationis imperium excutiant, pravis autem suis affectibus toti indulgeant. Et quum horum auctorum

scripta, quæ peccandi illecebræ & bonorum morum scopuli merito audiunt, longe etiam post eorundem mortem perennant, & ne temporis quidem tractu nocivam suam vim amittant; nemo sanus ambiget, quin malefani hi doctores post obitum peccent; siquidem moralis causa peccatorum, a posteris commislorum, esse perseverent.

### §. XV.

Subtilius quidem, sed non minus noxiū venenum tam sui ævi hominibus, quam infœcutoris parant illi, qui rationis lumini tantum tribuunt, quasi illud solum atque Revelatione non collostratum sufficeret cunctis, in veræ salutis semitam deducendis. Pauca admodum officia suis Lectoribus observanda hi præscribunt Doctores, adeoque viam salutis faciunt latissimam, quam Summus Doctor, Salvator, angustam fatis esse docuit, & qualē eandem re ipsa esse experitur, quisquis sanctitati morum, quemadmodum decet, studet. His accedit, quod ex nostra sententia, quam cordatus quilibet Lector sine dubio probabit, virtutum culturae magis obsint, quam profint illi Eruditæ moleste seduli, qui schedulas, Deismum, Naturalismum & Indifferentismum continent, operose conquirunt, conquistatasque de novo edendas curant, ut easdem refutandi & ingenium suum ita ostendendi occasionem habeant. Satis enim fuisset, scrinia hæc in obscuris Bibliothecarum angulis, in quibus delitescunt, relinquere, quam luci, qua prorsus sunt indigna, reddere. Si enim mansissent ignota, certum est, quod nulli hæc nocuisset pestis, quibus in publicum productis, incertum est, an non eorum lectio, saltem simplicibus & intempestive curiosis noceat, & dubitationis relinquat spinas, nulla for-

forte quantumvis solida confutatione evelendas. Nec minus quam modo nominati culturam virtutum inter mortales illi impediunt, qui superstitioni sunt devoti, & qui fatum cuiuslibet hominis statuunt adeo inevitabile, ut idem ex lineis in facie & manibus ocurrentibus determinari posse opinentur, quorum plures non solum inter cæcos gentiles, sed in ipsa etiam Christianismi luce, quam quis facile crederet, inveniri, quotidiana fere experientia docet. Quam exiguum vero hujus farinæ scriptores mereantur fidem, vel inde potest colligi, quod ne ipsi quidem suis placitis fidem habuerint constantem, sed vel in angustiis constituti, vel morti vicini palinodi am cecinerint & alios a suis scriptis legendis dehortati fuerint. Interim tamen rationis & Revelationis fontes turbando materiam peccandi post se reliquerunt amplissimam.

### §. XVI.

Ita plerique omnes sumus comparati, ut alios optima quantumvis nobis proponentes, libenter vix audiamus, nisi iidem sciant, sua sive placita sive consilia grato quodam modo nobis commendare, ut menti nostræ tanto altius imprimantur. Quod quum sibi satis compertum haberent primi etiam Scriptores, nemo mirabitur, si canoro ac jucundo dicendi genere Lectorum attentionem sibi conciliare studuerint. Quum itaque Poëtæ imprimis & prodesse & delectare velint, quisque ad egregium quoddam carmen legendum sua sponte sese accingit. Enimvero flores, quos spargit Poësis, magis dependent ab imaginationis vi in auctore, quam a fœveris subactæ rationis præceptis; quare quum illa vividi orи nunquam sese exserat modo, quam dum ab adfectu

quodam excitatur, docet enim experientia, quod rerum jucundarum & sensus externos faviter adficiantur representatio magis commoveat affectus, quam utilium cogitatio, in illis quoque proponendis magis, quam in his venientia Poëtica. Immo fuerunt Poëtae, saltē qui isthac insigniri voluerunt nomine, quorum carmina quasi tripudiant, quando ludos venereos & res Iudicas narrant, sed quæ humi quasi repunt, & sibi & lectorum exspectationi defunt, dum seria ad numeros tractant. Quare Poëtae nonnulli carminibus admiratores suos intime adeo corruperunt, ut animis horum impressæ vitiorum maculæ nullo interdum veritatis aut virtutis lixivio elui potuerint. Nunquam enim perniciosius est vitium, quam dum grato induitur habitu; Lectores enim innocuam quærentes voluptatem, nocentissimum inculti hauriunt venenum. Sunt, qui contendunt, quod OVIDII libris amorum legendis ita corrupta fuerit LIVIA, Cæsaris AUGUSTI filia, ut infamiae metu a Patre tandem fuerit relegata. Certum est, BOCCACIUM, Poëtam Italum, plerasque orbis cultioris partes ignibus suis, fabulas ejus Milesias intelligo, tamquam novum Phæthonem, corrupisse. Enimvero hoc vitium, procul dubio gravissimum, non artis est, sed artificum, donis sibi concessis non rite utentium, sed leviter abutentium. Hinc Poëtarum quidam, postquam ad maturiorem ætatem & saniorem pervenerunt mentem, ipsi condemnarunt ingenii foetus, quos juvenilis protrulerat æstus. Sic PLATO, postquam Scholam aperiussèt, morum præcepta traditurus, omnia concremavit carmina, quæ confecrat. Movebat Philosphum, inquit VOSSIUS, quod tam in malis, quam in bonis moribus ars delectet, quo modo in artificiose pictura tam adficit Thersites, quam Nireus. Metuebat igitur PLATO periculum, ne infirmiores vitia, pro virtutibus

bus amarent, si recte repræsentarentur, quippe infirmi atque improvidi eo facile impelluntur, quo propendent (a). Similiter POLITIANUS de PICO MIRANDULANO, insigni Poëta, memoriae prodit, quod libros amorum, quos adhuc juvenis conscriperat, morti vicinus concremari jufserit, ne ipsi vel suo nomini, vel aliorum moribus officerent. Denique Poëtis, artis amatorie Magistris, adjungimus eos, quorum vena, aureo liquore tincta, mox ebullit, adeo ut eisdem ferme coloribus proponant generis humani delicias & monstra, CARNEADI similes, qui justitiam & injustitiam pari commendavit eloquentia.

(a) Vid. Institut. Poët. Libr. I. p. 53.

### §. XVII.

Ambiguum omnino est, an fabularum Romanensium Scriptores generi humano vel nocuerint, vel profuerint. Institutum ipsum fabulas conscribendi, ut antiquissimum, ita utilissimum habitum fuit. Sicut enim hominibus, qui cibos ferre non poslunt succulentiores, olera, arborum fructus & bellaria proponimus; ita nudam veritatem, cuius aspectum non omnes fassinent, gratis verborum ac factorum circumstantiis vestiunt Eruditi, ut aditum in corruptos inveniant animos. Hinc tot videre licet virgines & tantum non omnes Eve filias, fabulas Romanenses avide admodum lectitare, libros autem, qui seria tractant, & qui magis instruunt quam delectant, non sine rædio spectare; sciunt enim vitæ ac conditionis suæ, quam raro amant, præcepta; nec vitia, quæ sibi placent, a Catone quodam male sedulo perstringi volunt. Non omnes tamen hæ fabulæ ejusdem sunt indo-

lis; dantur enim quædam, quarum narrationes sunt castigatissimæ, ut a Vestali etiam virgine absque rubore legi possint, sed quæ ingenio juvenum, quorum ætas emendationis potissimum est indiga, parum convenient, & proinde non sine nausea leguntur. Alius indolis sunt illæ fabulæ, quas Auctores vel temporis fallendi, vel ingenii ostendendi, vel lucri denique faciendi cauſa consarcinant, in quibus quum Cupidinis ac Veneris stratagemata ratione, qua fieri potest, ingeniosissima propoununtur, affectus juvenum illecebris istis non temperantur, sed magis incenduntur; adeoque ipsæ ampliorem corruptionis, quam emendationis materiam in se continent. Evidem non negamus, quin in quibusdam tragici repræsententur fines, quos illi habuerunt, qui parentum adspersnati sunt monita; his autem parum illi moventur, quos antecedens lectio in malo, quod secum agitarunt, proposito dudum confirmavit, opinantes se scenari, cui se immiscuerunt, prudentius, quam Heroës Romanenses, quos imitari gestiunt, terminaturos. Suppedant quidem nonnulli cautelas varias, in fabulis Romanensibus legendis observandas, jubent lectors imitari apes, quæ eos tantum visitant flores, e quorum nectariis mel colligere possunt. Sed non perpendunt, quod hic delectus singulis non competit; & quomodo de indole scripti quis ante judicabit, quam illud legit, sed postquam legit insitum venenum ipso actu hausit. Quis sanus interesse vellet conviviis, ubi vina & venena juxta ponuntur? Et tamen commendantur scripta, quorum festivitas plerisque lectoribus est exitiosa. Bene omnino FENELON: *Le vice grossier fait horreur, l' impudence brutale donne de l' indignation; mais la beauté modeste est bien plus dangereuse. En l' aimant on croit n'aimer que la vertu, & insensiblement on se laisse aller aux appas d' une passion,*



sion, qu<sup>e</sup> on n<sup>e</sup> apperçoit que quand il n<sup>e</sup> est presque plus  
tems de l<sup>e</sup> éteindre (a).

---

(a) Vid. *Les Avantures de Telemaque Livr. VII.*  
p. m. 106.

### §. XVIII.

Occultius quidem Scriptores jam memorati, & quasi per cuniculos splendidum virtutis ædificium subvertere conantur; contra autem alii apertius & manifestis argumentorum arietibus idem demoliri nituntur, in castigatissimam disciplinam Moralem introducendo dogmata, tam veritati, quam virtuti inimica. Sed hi fere sunt, qui suis intenti commodis, parum curant, quid alias juvet, modo ipsi vel famam eruditionis vel divitias consequantur. Taceo jam Lojolæ fratres, qui tribus suis cardinalibus placitis de Probabilismo, de Methodo dirigendæ intentionis & de Peccato Philosophico inferias omni virtuti, quantum in ipsis est, parant, qui auctoritate & promissis præmiis plures, quam rationibus fieri potuit, sibi adjunixerunt adseclas. Sunt nonnulli, qui ex vetustis Hebræorum scriptis ostendere fatagunt, concubinatum in gente Hebraica, imprimis ante editam in monte Sinai legem Divinam, fuisse permisum; quam vero doctrinam magis ad vanam eruditionis pompam, quam ad verum virtutis studium comparatam, aversantur omnes, qui sanctitatem morum, & non pravas consuetudines viræ regulam sibi proponunt. His pollicem fere premunt illi, qui Polygamiam defendunt simultaneam, eandemque legibus tantummodo civilibus politiorum gentium repugnare autem; quo in campo Johannes LYSERUS (a. suam exercuit industram; item illi, qui res futilles & ab honestate:

te remotas magnopere laudant, ingenioli gloriam  
in hoc quærentes mustaceo. Et quum ipsa dictaret æquitas,  
quod illi, qui facinorosos adjuvant, vix in minor-  
rem incurvant culpam, quam qui ipsum committunt flagitiū,  
siquidem idem nocendi propositum utriusque prodant,  
saltem habere moraliter censeantur; patet, quod Typographi  
& Bibliopolæ, qui libros, bonis moribus contrarios, vel  
imprimunt vel divendunt, tot peccandi illecebras Lecto-  
ribus propinent, quot divulganda eurant exemplaria;  
quo admisso, ambigere nemo potest, quin hi omnes  
peccata etiam longe post suam committant mortem;  
quamvis enim vivere desinant, vivos tamen perversis  
scriptis corrumpere non intermittunt.

---

(a) Vid. Theophili Aletbæi (*sub quo nomine delitescit  
Johannes Lyserus*) *Polygamia Triumbatrix*.

### §. XIX.

Denique non illi solum, qui eruditionem profiten-  
tur ac promovent, sed alii etiam, qui ingeniosissimas  
exercent artes, ita sua quandoque abuti posunt sollertia  
& industria, ut operum suorum admiratores magis cor-  
rumpant, quam ipsi vel credant, vel sèpè carent; quorum re-  
ferimus pictores, sculptores & statuarios. Quorum quidem  
artes in se præstantissimæ, quippe earum ope magnalia Divina in  
tribus Naturæ regnîs, quo ad externam formam quasi  
eoram conspicienda sistuntur, non debent aliis rebus expri-  
mendis adhiberi, quam quæ vel majestati Numinis vel digni-  
tati hominis convenient. Enimvero artifices quidam, ut peri-  
cia & industria sua excellentiam ostendant, freна imaginatio-  
ni sue adeo laxa dant, ut decori limites leviter transiliant;  
parum, ut videtur, contenti, si spectatorum obtineant  
applau-

applausum & admirationem, nisi simul ferventissimis, in quos ipsos propendere norunt, affectibus somitem subdant. Hinc vel integros homines prorsus nudos, vel partes eas corporis, quæ abscondi potius, quam colotibus vel lineis nimis vivide expressis proponi deberent, considerandas sistunt, vel etiam tali statu & petulantibus adeo gestibus ipsos, modo solos, modo in societate cum aliis diversi saepe sexus inducunt, ut pectora haerterus casta & innocua vehementer irritent, & animos ad improba quævis flagitia fortius sollicitent, quam verborum & earminum fieri potuit lenociniis. Id quod HORATIUS eleganter docuit his versibus: *Segnius irritant animos demissa per aures, - - - Quam que sunt oculis subjecta fidibus (a).* Damnavit quoque PROPERTIUS obscenarum picturarum adspectum, quod oculos animosque intuentum valde corrumpant. Hinc vere cecinit Poëta non modestissimus: *Quæ manus obscenas depinxit prima tabellas - - - Et posuit casta turpia visa domo - - - Illa puellarum ingentios corruptit ocellos - - - Nequitiaeque suæ noluit esse rudes (b).* Nec mirum est, tantam perniciem a pictura, valet idem de ceteris modo memoratis artibus, immitti, quoniam oculos perstringendo imaginationem fortius excitat. Bene enim QUINTILIANUS: *Pictura tacens opus & habitus semper ejusdem sic in intimos penetrat affectus, ut ipsam vim dicendi superare videatur (c).* Silentio jam præterimus exempla eorum, qui ad ingeniosorum operum, dum sua abuti arte non dubitabant artifices, considerationem, tamquam ad scopulos triste virtutis atque innocentiae fecerunt naufragium; quamvis corruptiouis suæ auctores nunquam viderint, ut adeo certissimum sit, quod hi etiam post mortem peccata commiserint. Dissertationi autem huic finem jam imposituris memorabilis occurrit sententia Spartano-

rum, de quibus refert **VALERIUS MAXIMUS**: *Quod noluerint liberorum suorum animos lectione scriptorum Archilochi imbui, ne plus moribus noceret, quam ingenii prodesset* (d).

(a) *In Libr. de Arte Poëtic. v. 180. 181.* (b) *Vid. Libr. 2. Eleg. 6.* (c) *Vid. Institut. Orator. Libr. XI. Cap. 3.* (d) *Vid. Libr. VI. Cap. 3.*

*S. D. G.*

